



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXVI. De Officio Sacristæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63440)

1 **P**rimicerius, quasi primus in cera, seu tabula cerata Ecclesie scriptus, quod primum in Choro Psallentium, & in Schola Clericorum habuerit locum, hodie mutato nomine vocatur vel *Cantor*, aut *Præcentor*, vel *Scholasticus*, quamvis ferè munus docendi, vel præcinendi, non exerceat per se ipsum, & subinde Præbendam Canonicalem, quam Tridentinum conferri voluit docenti Clericos & adolescentes, obtineat. Eius officium insinuat in *can. 1. d. 25. c. un. h. t.* & Archipresbytero quoad hoc subest. *d. c. un. ac de Jure Dignitatem obtinet. c. 8. de const.*

2 Dico. Quale sit hodie Officium Primicerii, seu Scholastici aut Cantoris, discere rursus oportet ex peculiaribus statutis & consuetudinibus cujuslibet Ecclesie.

TITULUS XXVI.

De Officio Sacriste.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quis sit Sacrista, & quod ejus officium.*

1 **S**acrista, à Sacrorum custodia dictus, quia ejus officii est sacra vasa, vestimenta, ornamenta, cimelia, imò & totum thesaurum custodire, atque ideo etiam *Thesaurarius*, vel *Cimeliarcha* appellatur.

2 Dico. Sacrista habet nudum officium, non dignitatem vel personatum aut præminentiam inter Canonicos, imò in nostris Ecclesiis hodie nul-

nullus est inter Canonicos, qui hoc nomen gerat, vel officium, utpote quod ferè Laicis ædituis est commissum, vel etiam Clerico tanquam Vicario *Custodis*, qui propterea appellatur *Sub-Custos*, reservatâ tamen supremâ curâ Custodi, cujus, & Sacristæ, officia non videntur distincta.

TITULUS XXVII.

De Officio Custodis.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quis sit Custos, & quod ejus officium.*

Custos, quamvis de Jure sit minister Sacristæ, ac utensilia Ecclesiæ, & rei Divinæ instrumenta minùs pretiosa custodire debeat, panem & vinum parare ad Sacrificium Missæ, & sacras vestes sacrificantibus, signumque ad Horas dare Canonicas per pulsum &c. *c. 1. 2. h. t.* & sic merum ministerium, satis humile, habeat, vi consuetudinis tamen vix distinguitur à Sacrista, exercens munus per Sub-Custodem & ædituum Laicum, uti notavi, in quibusdam Ecclesiis. Quapropter

Dico. Vi consuetudinis in nostris partibus uni quidem ex Canonicis nomen *Custodis*, non *Sacrista*, attribuitur: in quo autem ejus versetur officium, & an non habeat præminentiam inter reliquos Canonicos, vel dignitatem, ex peculiaribus statutis & usu Ecclesiarum discendum est.